



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de
Antverpiae, 1610**

12 De temporis cpmputatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

sernia & Aluaroti interpretatio ad diu. §. Item si delator. dum illum textum procedere existimant in delatione calumnia & criminis, quod in iudicio probatum non est. Nam ex praemissis apparet vasallum priuari feudo iuste posse, si dominum in iudicio reum fecerit criminis etiam veri, quod tamen ipse sponte nulla lege coactus, cum accusare non teneretur, ad iudicium detulerit.

CAPVT XII.

De ratione computandi temporis ab annorum numero.

SYMMARIA.

1. Annorum computatio à Christi natiuitate qualiter apud plerasque nationes fit.
2. Ab incarnatione Christi quandoque numerus annorum sumitur, & ibi, quam varie hoc fiat.
3. Aera Caesaris quid sit, & inibi late traditur, quo pacto temporis ratio ab ea sumi consueuerit, apud Hispanos. & ibidem de die natiuitatis Christi & de Hiera.
4. De institutionibus & pensionationibus generibus.
5. Quo tempore initium habuerit institutionum vsus, & quam originem rationem habuerit.
6. Institutionum calculus, eiusque observatio, & à qua anni parte incipiat.
7. Institutionis adiectio precise necessaria non est, & quid si ea differat ab anno Domini, ipsi instrumentis appositis.

QVam varia fuerit apud veteres anni ratio, plerique ex authoribus meminere, sicuti Plinius li. 7. ca. 48. Macrobius li. 1. Saturna. cap. 8. Gellius li. 3. cap. 16. & iunioribus Virgilius Polydorus li. 2. de inuen. rerum. c. 4. Andr. Tirac. lib. de retrat. §. 1. gl. 10. in prin. Sic non vna fuit omnibus nationibus temporis computatio, siquidem veterum monumentis constat Græcos per Olympiadas, Hebræos vel à diluuiio, vel à mundi origine, Romanos ab vrbe condita atque à consulibus huius rei rationem obseruasse. At Christiani duodecim mensium vtuntur anno, quo & Ethnicorum quidam vsi fuere, eius tamen initium apud nos discrimen habet. Quidam etenim id adsumunt à Iesu Christi natiuitate, quæ vicessima quinta die Decembris contigit, octauo calendis Ianuarij auctore Augustino in enarratione in Psalm. 132. ad finem. diuo Thoma 3. parti. quest. 35. art. vlt. idque ab ecclesia, cuius authoritas certissimam fidem habet traditum est ex ipso Christianæ religionis exordio, itaque in Romana curia non à Calen. Ianuarij, sed ab ipsa vicessima quinta Decembris die anni fit computatio, & initium, sicuti notat gl. in extranag. 1. in fin. de censib. inter commu. tex. expressus in consil. 1. §. nos. de omnipot. Dei. tit. de punit. & remissio. sub eisdem extranagantibus. text. ad idem in extranagant. quem admodum. eod. tit. Rota noua 50. Ioan. Lucidus in lib. de vero die pas. Christi. c. idem. lib. de emend. serap. c. 10. idque frequentius apud Hispanos seruatur. Cautius tamen est illis septem vltimis Decembris diebus addere signum aliquod, vnde appareat, id tempus ad initium anni non ad finem pertinere, & ita quandoque tabelliones hac cautela cautissime vtuntur, ob effugiendam incertitudinem: vsus vero obtinuit plerisque in regionibus, vt anni à natiuitate adsumant exordium à calendis Ianuarij, quod magis conuenit Astrologis, eo quod annus ex duodecim consistit mensibus, quorum primus ipse Ianuarius est, ab ipsius igitur initio aptior fuit anni computatio, nisi septem illis diebus à Iesu Christi natalibus differret, vt quæ sit illhæc annorū dinumeratio à Christi natiuitate ita intelligenda est, vt anni currentis nondum finiti signum existat. Sic sane annus à natiuitate Christi, veluti currentis adhuc & inceptus nondum vero finitus significatur, quem admodum vsu receptum est, & animaduertit Cardin. in cap. inuenus. de sponsa. Cholmas in prag. sanctio. Gallicana. tit. pen. in verbo, anno.

2. Sunt, qui ab incarnatione Iesu Christi, id est, à vicessima quinta die Martij, annos dinumerant. nam & huius moris meminuit tex. in cap. 1. de similit. 2. & Castellæ Rex Alfonso in proœmio illius Regiarum constitutionum operis, quod Septem partitum appellamus. Sed ipsa initium anni incarnationis, adsumunt nonem mensibus ante natiuitatem qua ratione annus à natiuitate quinquagesimus erit, & eiusdem numeri ab incarnatione vsque ad vicessimam quintam diem Martij, & ab eo die, qui est quinquagesimus annus à natiuitate, erit quinquagesimus primus ab incarnatione, qui quidem vsus potius placuit quibusdam, quam is

quo Florentini vtuntur, tribus mensibus post natiuitatem incipientes numerum annorum incarnationis, vnde iuxta computationem hanc, annus quinquagesimus à natiuitate vsque ad vigesimam quintam diem Martij, erit quinquagesimus nonus incarnationis, ab eo die erit quinquagesimus incarnationis simul natiuitatis, qui tandem vsus apud Romanam curiam omnino seruatur, quod apparet ex inserto Clementis septimi, quarum meminit Ioannes Lucidus in dicitō capitulo tertio, probatque Rota in nouis 108. scribens, secundum cursum Romanæ curiæ annum incarnationis incipere post natiuitate Christi, quasi quod aperius est, annum incarnationis incipiat vicessima quinta die Martij, postquam incepterat annus natiuitatis vicessima quinta die Decembris. Ceterū quod eadem Rota decisio lubdit, iuxta consuetudinem Angliæ, & Franciæ incipere annum incarnationis post mensē Martij, est ita interpretandum, vt sciamus annum incarnationis apud Gallos & Anglos incipere à die ipso Paschæ resurrectionis, non à vicessima quinta die Martij. Nec tamen ex hoc inferitur Gallos enumerare annos Domini à resurrectione, quæ contigit triginta tribus annis post natiuitatem, sed procul dubio enumerare ab incarnatione, initium sumentes ab insigni die, nempe à Paschæ resurrectione, quod explicat Challanæ. in consil. diu. gun. rubr. 1. §. 8. ver sic. quæra quomodo. num. 4. & in Catalog. glorie. mundi. part. 12. considerat. 39. Cholmas in prag. sanctio. tit. penult. in verbo, domini. & Philip. Probos in eadem pragmat. tit. vltim. in verbo, domini. post eundem Cholmam ibi. Hinc aperitur sensus eiusdem Rotæ dicentis post mensē Martium, annum incarnationis incipientem, & eum qui initium habuit à natiuitate præcedente, numero conuenire. Annus etenim incarnationis, secundum Gallos incipiens à die resurrectionis idem est cum eo, qui paulo ante iuxta Romanæ curiæ vsū incepterat à natiuitate. Et licet Ioanni Lucido displicuerit modus computandi annos ab incarnatione, quem tradidimus ex Romanæ curiæ vsu potius consentienti moribus & vsui Hispanorum, eo quod ab ipsa die, qua Christus fuit incarnatus, deducatur ab eis ipsa Chronologia, vere quidem satis conueniens est, si intellexerimus eam computationem procedere ab anno incarnationis finito, ita sane, vt annus ab incarnatione millesimus, sit iam finitus & perfectus, millesimo primo currenti, ex Cardinal. in dicto capitulo inuenus. §. 1. in dicitō pragmat. sanctione, titulo penultimo. in verbo anno Arcetius consil. 71. ad finem Catelli. Cottæ in dicitō, anni tenfit Baldus in leg. imp. 2. §. 8. notatores. ff. de Senat. ex quibus inferitur, oportere tabelliones annos descriptentes expressim addere vel à natiuitate, vel ab incarnatione, ne adfit temporis incertitudo apud eos, qui morem, & vsum eius regionis, vbi confecta est scriptura, in anni computatione ignorat, ex ea etenim scriptura, quæ annos Domini designat, nulla facta mentione natiuitatis, nec incarnationis, facile oritur hæc incertitudo, vt admonet Author artis notariatus, 2. tom. column. 7.

Olim sane apud Hispanos ab Aera Caesaris anni designabantur, quod satis compertum est: & in ea re illud ab omnibus asseueratur initium huius computationis triginta octo annis præcedere Christi natiuitatem, exordiumque sumpsisse ab Octauiani Augusti principatu, qua ratione annus hic quinquagesimus à natiuitate, erit ab Aera Caesaris octuagesimus octauus. hoc probatur ex proœmio Partitarū & ex concludorū, historiarumque veteribus libris, diligenter que ostendit & Ioan. Valæus priori parte Chronicozum Hispaniæ capitu. 22. Mellias libro. 2. Syluest. variæ lib. 1. cap. vlt. quo fit manifestū esse lapsum præstulis Gerundensis vltimo libro & cap. Paralipomenon scribens, Aera Cesaris viginti sex tantum annis præcedere Christi natiuitate. Nā licet authoribus Eutropio, Orofio & Eusebio Christus natus fuerit anno imperii Augusti quadragesimo secundo, ita tamen est id intelligendum, vt sciamus secundum eam computationem Imperii Augusti à morte Iulij Cesaris initium accipere, cum tamen prioribus annis post Cesaris obitum maxima bella, & ciuilia contecerit Augustus, nec solus, nec pacatum obtinuerit Imperium scribit enim Suet. in August. cap. 16. Octavianum, C. Sotio, & T. Domitio consulibus anno duodecimo post Cesaris obitum, M. Antonium, & Lepidum Triumuiros societate priuasse exintis ciuilibus bellis, & ab eo die solum Imperium Romanum obtinuisse. Sed & Dio lib. 51. & Xiphilinus scribit, annos Imperii Augusti esse numerandos à victoria Actiæ.

postremo aduersus M. Antonium, & Cleopatram obtinuit, legitur qui Octavianum principatum, eiusque Monarchiam, ad hunc ex Aera annorum computationem adimplerunt, quatuor priores annos, quibus apud ipsam urbem in Italia, & Macedonia ciuilia bella sedauit, omiserunt, exordium statuentes ab eo tempore, quo pacto triumphaturu, reliquis Romani orbis prouincis Lepido, & Antonio triumuiris diuisis, urbem ipsam, Italiam, Gallias, Hispaniam, & Germaniam obtinuit. Anno ab Urbe condita. 714. Ch. Domitianum Gallio, & C. Anno. Pollione Consulibus, ex Dionysio. ab. J. Sicut & hi, qui Christum natum fuisse quodraginta secundo eius Imperij anno scripsere, a morte Iulij Caesaris, Augustum Regimen Imperij habuisse centent. Hi uelut qui anno 12. post obitum Caesaris adscribunt initium Imperij Octauiani, tempus tantu id, quo solus Repub. tenuit, considerant. I. Achiacum enim uictoriam anno duodecimo post obitum Augusti consulatu, quarto Nonas Septemb. contigit, constat ex Dionysio. lib. 50. & 51. Ioseph. lib. 5. ant. q. cap. 5. & Suetonio paulo ante citato ab anno Urbis condita 713. Caesare Augusto III. & M. Valerio Messala, Coruino Consul. sic sane Clemens Alexand. lib. 1. Strom. dum scribit, Christu natum fuisse anno 28. Imperij Augusti, ratione tantu habuit eius temporis, quo solus Rempub. obtinuit, annis fere duobus Monarchia: ab aliis dissentiens. Quemadmodu & Gerundensis eadem habita ratione, quatuor annos ab eodem imperio, quo solus Octavianus usus est, forsitan demaxit. Etenim Euseb. asseruat, quosdam primu annu Monarchia: Augusti ab anno 15. post obitum Caesaris supputare. Sed & Tertul. aduersus Iudaeos scribit, Christum natu fuisse anno 41. Imperij Augusti Caesaris. Huius uero computationis signu ideo Aera dici quidam existimant, quod eo tempore Caesar August. primu censum, ac tribut. gentibus, & uniuerso orbi Romano indixerit, quod quidem tribut. uniuersis orbi Augusto reddere professus fuit, unde Aera dicta fuit ab Aere, quod eo tempore primu Augustus uniuerso orbi pro tributo indixerit, ita sane Isidorus scribit lib. 4. Etymol. cap. 30. Aera singulorum annorum constituta est a Caesare Augusto, quando primu censu excogitator Romanu orbem descripsit: dicta autem Aera ex eo quod omnis orbis as reddere professus fuerit Reipublicae. Hactenus Isidorus, cui subscribendum non est, siquidem ea uniuersu orbis descriptio iussu Caesaris Augusti fieri minime potuit eo tempore, quo Aera initiu habuit; cum August. nouid. habuerit uniuersu orbis regimē, quod tandem multo post adsequutus est paulo ante Christi natiuitatem, quemadmodum Eutropius, Orosius, Beda, ceteriq; Catholici testantur. pacatissimo namq; tempore Christus nascitur, cuius aduentu pax alta famulata est, nec prius August. orbis Romani totius imperium habuerat, quin bella acerissima usq; ad Christi incarnationem gesserat. cum aduersus consortes Imperij, occisoresque patrii, dum aduersus Hispanos, Dalmatas, Illyrios, Parthos, aliosq; gentes ferocissimas, quo fit apertissimu esse, non potuisse edicto Caesaris totum Romanu orbem describi priusquam idem pacatus, subditusq; Reipubl. Romanae esset. Et hoc ipsum autoritate ueritatis Euangelice constat. Luca. cap. 2. quo in loco scribitur, a Cyrino praeside Syriae, ex edicto Augusti Caesaris descriptionem facta fuisse, in Iudaea eo anno, quo Christus natus est, deduciturque ex eo loco descriptionem illam factam a Cyrino fuisse primam omnium, quae ex illo edicto Caesaris factae fuerint. Nec consentaneum est, ab alia particulari descriptione iussu Caesaris facta, Aera rationem deduci, cum ex pluribus descriptionibus prouinciarum, quae edictum illud praecesserint, incertum sit, a qua origine Aerae computatio habuerit. Meminit & descriptio in Cyrino in Iudaea facta Iosephus lib. 18. de antiq. cap. 1. ac de ea intelligendus est locus diu Lucae. cap. 1. His accedit, quod Aera non tantum Caesari, sed & Magno Alexandro, Nabuchodonosori, & Adamo accommodatur in paritarum proemio, ex quibus libentius ab Isidoro dissentio, & libentius a Gerundensi Episcopo in d. cap. vlt. tom. Paralipomenou, qui hac in re plura scribit potius coniecturis, factis incertis, quam rei ueritate ductus. Sed forsitan ab illa, temporis & annorum descriptio fit, quod dominationem, ac principatum significet auctore Nebrissenfi in Dictionario, quasi idem sit ab Hera Caesaris, annorum rationem habere, quod ab ipsius Caesaris principatu, & imperij initio. & eodem modo Philippo, & Alexandro, Nabuchodonosori, ac ceteris accommodatur aptissime

Sed & haec ratio infirma uidetur esse, nam & Haec computatio, diluio ac mundi creationi adicitur in d. Partiaru Proemio: & tamen in his de alicuius principatu, Imperio, dominatione ue non agitur. Et praeterea Astrologi, qui frequentius hac Chronologia utuntur, temporis initium, uel aliud illustre principium a quo supputationes incipiunt, Aerae uocant, quemadmodu ex Ptolomaeo, Theone, Alfonso Rege, & aliis adnotant Hermolauus in Plinium, & Ludouicus Caesius lect. antiq. lib. 6. cap. 2. quam ob rem ego, ni fallor, Aera dici existimo non ipsum illustre principiu, a quo supputatio fit, nec ipsam dominatione, principatum uel, nec tributorum indictionem: sed ipsum annorum numerum, ut perinde sit dicere, Aera Caesaris millesima, ac si diceretur numerus annoru a principatu Caesaris est millesimus. Sic & Aera mundi, erit numerus annorum a creatione mundi: ita & Aera diluuij & uniuersalis cataclysmi: eaque duco r. coniectura, quod sciam ex auctoribus nummis quandoque apponi solitum numerum, quo colligeretur pretium, seu estimatio, eamque notam Aerae uocata esse, sicuti ut ex luminoribus adnotant Ludouicus Caesius in dicto cap. 2. auctoritate Nonij Marcelli. Is enim scribit, Aerae numeri nota, Lucilius libro 29. Haec est ratio, peruersa Aera summa & subducta improbe. Haec Nonius. Qui cum alibi in libello de indictionis nominum generibus ita scribat, Aerae neutri generis. M. Tullius in Hortensio, quid tu, inquit, soles cum ratione ab dispensatore accipis, si Aera singula probasti, summam, quae ex his confecta sit, non probare? Et in eo libello Nonius adduxerit aliarum dictionum exempla, quibus constat, eas vario in genere ab auctoribus usurpari, in hac uero dictione neutri tantum generis exemplum tradiderit, suspicionem non leuem nobis iniecit, ipsum existimasse, Aerae a Lucilio in genere feminino usurpatum fuisse, quippe qui huius dictionis meminerit in earum dictionu numero, quae uariis in generibus solent apud ueteres reperiri. Nec dubium est, Nonium uoluisse, hanc dictionem huiusmodi conditionis esse. Sed utcumque Nonius Lucilium intellexerit, ego arbitrator apud Lucilium, Aera in numero plurali esse accipiendam, & in eadem significatione, qua usus est Cicero in Hortensio, quaque usus est Plautus in Truculento, apud quem Dinarchus de scortis, & Ienonibus circum argentarios quotidie sedentibus inquit:

Quos quidem quam ad rem dicam in argentariis,
Referre habere, nisi pro tabulis nescio ubi Aerae praescribantur.
Vsuraria accipiat dico expensa, nec censet.

Legitur & in aliquot libris manu scriptis apud Nonium Aerae numi nota. Et tamen adhuc censet ex his factu esse, ut haec dicitio, mutata ueteru auctorum Latina & legitima declinatione, in annorum numero significando usuperetur. Quo fit, ut ipsa nota qua numeru annoru, uel mundi, uel Magni Alexandri, Philippi, Christi incarnationis, uel natiuitatis significat, Aera appelletur, atque hinc originē duxerit annorum ex Aerae computatione, quae licet ab aliis monarchiae conueniat, apud Hispanos tamen ad Augustum Caesarem in dubio est referenda, cum in Hispania frequentissime ab Aera Caesaris facta fuerit annoru descriptio usque ad annum Caesaris 1421. Natiuitatis uero 1383, quo quidem tempore a Ioanne Rege Primo huius nominis statutum est, ut annorum ratio a natiuitate Christi, non a Caesaris imperio adsumeretur. Hinc Speculator in libro Rationali s. vltim. cap. 2. scribit Hispanos ab Aera Caesaris, temporis & annoru ratione habere. Extat tamen huius computationis mentio in Niceni Concilij decretis, & actis. Quod equidem congregatu est anno Domini tricentesimo uigesimo quinto. Sed & post primam huius operis editionem missa fuit ad me e Salmanticae Vasaei uiri eruditissimi deque literis humanioribus bene meriti Chronicoru Hispaniae pars prior, cuius lectione deprehendimus a L. Resendio probari eam sententiam, quam nos de Aera ex Lucilio certiore esse diximus. Deinde apud eundem auctorem legi diligentissimam hac de re. Genesij Sepuluedae adnotationem. Etenim is censet, dictionem istam a ueteribus inscriptionibus deductam fuisse, quibus anni ab Augusto Caesare ita memorie tradebantur: Aera Caesaris, annus, inquam, erat Augusti Caesaris. Hanc uero coniecturam multi quidem facimus propter uiri multis nominibus in re literaria illustris auctoritatem, potius tamen probamus Aerae significationem, quae ad numerum annorum ex Lucilio ac Nonio Marcello constat.

Nam & Isidorus in libello, quae scripfit de ord. ne celeberrandi

conclij, ad significandum ipsorum *cap. num.* hac dictione passim vitur, dum aliquem canonem ex aliqua synodo aera. 18. vel alia adducens intelligi plane illius Synodi canonem vel *cap. 18.* Et eadem dictione iuxta significationem iustam vitur Cindasunthus Gothorum & Hispaniarum rex in l. 4. v. 2. lib. Fori. D. autem Ildorus lib. 6. Etymolog. c. 15. J

4 Præter hæc moris equidem fuit apud veteres, iudictionibus vti, easque annorū numero hi adicere solebant. His etenim vltus est Iustinianus Cæsar, in l. vnica. Cod. de Iustiniani Codice *confir. d. 5. §. leges ante nostras. C. de veteri iure enuclean. & in athen. vi. p. ep. nomen imperat. §. si qua vero. & Græca Nouella ex Haloandri Codice 163. D. Gregorius in Epistolis. Marcellinus Comes in eo libro qui Chronicon Marcellini inscribitur. vbi à Theodosio Magno incipiens ad Iustinianum vsque, temporis rationē ex iudictionibus, & Consulibus diligenter obseruat. Sic & Theodorus Lectōr Græcus author. Eccles. hist. Theodosij iunioris principatū, eiusque tempus ad iudictionū numerum tractat. *tex. in c. in nomine Domini. 24. dist. 1. & in c. inter dilectos. de iud. instrū.* Constatque apertissime iudictionum vltus ex Castodoro, & Codice Theodosiano multis in locis, præsertim lib. 11. Prænotandum tamen est, tria fuisse penitantiōum genera, ex quib. Aerariū reipublicæ Romanæ constabat. Canonem, Oblationem & Iudictionem, quorū meminit Aconitus 4. in Veriem actione. ex quib. etiā principū Christianorū videntur constare Aeraria, ac Regij reditus, auctore Budæ. lib. 3. de Affe. & in Rubi. ff. de offic. q. In Canonem censentur ea quæ diademati Regio ita adherent, vt ordinarij reditus existimantur, quales sunt portoria, vestigalia, possessiones, ac prædia, de cima pretij, quō res omnes venduntur, quā Alcaualā appellamus, omniaque alia in fiscum quoquo iure, ordinario tamen, cedentia. Oblatio autē dicitur quicquid à popularib. ipsi principi deferretur, vt auxilia in totius regni conventu Regi promissa, & hæc vulgo *Servitia* dicimus. Tertij gentis iudicio appellatur, & sane significat *Collectam*, siue id, quod princeps proprio edicto certam numerorum summam iudicando populis imperat, hæc vero quandoque augetur *Superiudicio*, si publica id suadeat necessitas, quarum quidem pensionum meminit Imperator in l. 2. C. de iud. & in l. vnica. C. de super iud. & in l. iud. C. de annona, & trib. & l. rescripto. §. sciendum. C. de mu. & honor.*

5 Porro Iudictiones annorū temporisque supputationi subseruiisse etiā ante Christi natiuitatem auctor est Accursus. in d. l. r. §. vlt. C. de iust. C. *confir.* cui videntur consentire iuris vtriusque interpretes, præsertim gloss. in d. c. inter dilectos. Spec. lib. vltim. Rationali. c. 2. & in tit. de instrum. edit. §. breuiter. num. 5. receptum enim est, Christum natum fuisse quarto anno primæ iudictionis, quod etiā Dionys. scribit. Et quamvis And. Alcia. lib. 8. Pæverg. cap. 1. paulo ante Iustinianum censet hunc cœpisse morē, ipse tamen apud Comitum Marcellinum in Chronico, atati Theodosij Hispani Cæsaris cum adscriptum video. sic & ante Iustinianum in actis concilij Calcedonensis tempus ad rationem iudictionum significatur, vt plane opiner in veteri republica minime seruatum fuisse hanc iudictionum computationem, cuius origo forsitan deducitur à nona illa iudictione, qua Caiō Antistio, Læfio Balbō consulibus anno quarto ante Christum natum Augustus instituit auctore Dionē lib. 55. quem & Alcia. citat d. c. 1. Qua in re parum sibi cōstant Gengius Cædrinus, qui in Augusto Cæsare scribit, Iudictiones anno secundo eiusdem institutas fuisse Rursus in Theodosio earum originem in decimumquintum Augusti annum retulit, falsoque censent eas nomen ab Actiaca victoria obtinuisse, sed & idem ibi fatetur, sub eodem Theodosio cessante olympiadū vsu, iudictionum computationem cœpisse: idem auctor in Nerone ab iudicis tributis iudictionem dictam fuisse. Iudictio vero vltra decimum quintū annum non progreditur, sed quindecim annis peractis ad primum reuertitur, distinguiturque in tria lustra ad exemplum ternæ lustrationis, cū quinto quoque anno moris esset vrbe Romam lustrari, nā & census solutio ad iudicij lustrationis quinto quoque anno fiebat, vt scribit M. Varro lib. 5. de lingua Latina: Lustrum inquit, nominatum tempus quinquennale à luendo, id est, soluendo, quod quinto quoque anno vestigalia, & vltro tributa per censores soluebantur. Quod si coniecturis, nec temerariis vti licet, probabilis videtur iudictionem non vltra quindecim annos extendi, eoque in tria lustra diuisos fuisse ea ratione, quod iudictio certi census, aut colle. Atz solueda reipublicæ quinto decimo quoque anno fieret

huiusque summe solutio in tres distingueretur partes, poraque, vt tandem tertia pars quolibet quinquennio partaretur, atque hic fere vsus hodie in collectis soluetur obtinuit, siquidem certa summa iudicatur quadriennio soluetur, quatuor distinctis solutionibus, id vero quod accursus in rubr. C. de iud. & in l. 1. ad fin. C. de iust. Cod. *confir.* rat, primo quinquennio à Romanis iudictum fuisse aurum, secundo argentum, tertio ferrum, commentum fuisse aurum si probetur ab Specul. in d. §. breuiter. num. 5. lal. in l. placet. C. de sacrosanct. eccl. Challa. in c. iust. Baygun. rubr. 1. §. 4. Verificatur quod sit iudictum. Eodem pacto nullum auctorem habet Lucas pennina in l. iudictiones. C. de anno. & trib. scribens, Iudictiones quæ id tria lustra continere, quod primo lustro Asia, secundo Africa, tertio Europa censentur, & ideo refellitur ab eo qui artem notariatus concinnauit part. 2. col. 7. tametsi existimet id credibile esse Alcia. in d. cap. 1. verum consuetudine profecto est, iudictionem illam, cuius Dion. meminit, Christi natiuitatem precessisse quo ad edictum, eius vero executionem initium habuisse ab eo anno, quo Christus natus est ex cap. 2. Luca. vnde poterit defendi, quod Specul. Lucas Pententis, & alij opinantur iudictiones ab eo cœpisse edictio, cuius Euangelista dicit cap. 2. meminerit, ita sane, vt iudictionis computatio inceperit ab anno edicti præuia de liberatione, & maturo consilio Romæ instituti, ac decreti, non ab eius executione, quæ primo anno Christi natiuitate contigit.

Iudictionum tamen calculus in hunc, qui sequitur modū, assumitur. Annis Christi additur triennium, omnique annorum numerus per quinquennia diuiditur, vt tandem annus, qui superest, iudictionem constituat, quemadmodum præter Accursum, Speculaturum, & alios docet Beda lib. de natura verus cap. 47. signaturque iudictio à primo anno vsque ad quindecim eo numero, quo annus hic excurrens, cœpisset, vt tertia iudictio sit annus tertius, qui excurret post factū omnium annorū per quinquennia contributionem. Annigitur mille quingenti à Christi natiuitate in quinquennos diuisi efficiunt centum iudictiones, his adde quinquaginta annos à natiuitate, ex quibus quadraginta quinque tres iudictiones peragunt, reliqui sunt quinque anni, quibus adduntur tres, & ideo annus quinquagesimus supra mille. mū quingentesimum à natiuitate octauam designat iudictionem. Quæ quidem iudictio incipit à Calend. Septemb. quod constat eo mense exactores tributorum propriū munus auspicari, *text. in auct. de collectoribus. in princ.* quem ad hoc citat Alcia. d. cap. 1. ex ea tamen constitutione hoc certū non est, eū ostendat, inter Septemb. & Octobr. dispositiones vniuersalesque iudictionis proponi, vnde certius est eā initium accipere octauo Calend. Octobris, sic 24. die Septemb. auctore Beda d. cap. 47. Cui adherent Alcia. in d. cap. 1. & Ioan. Lucius lib. de vero die pass. Christi. cap. 7. vbi scribit, hoc initium obseruare Cæsareos tabelliones, Pontificios vero iudictionis exordium adumere à die natiuitatis, vt simul iudictionis, & anni, à natiuitate numerus mutetur quod probatur ex actis Constantiensis concilij. & idem erit in ea cōputatione, quæ ab incarnatione fit, ne temporis ratio cōfundatur. Constat tamen ex actis sextæ synodi ea ratione adhuc in Concilij, & alijs ecclesiasticis actibus, idem circa initium iudictionis seruatum fuisse à Pontificijs tabellionibus, quod à Cæsareis, vt tandem iudictionis exordium à septembri mense computetur.

Ceterum post huius operis tertiam editionem cum esse Tridentini legi diligentissimos Onophrij Paauini in Festos commentarios, qui quidem auctor existimat quibusdam coniecturis, & ex Græcis factis iudictionum vltimū originem habuisse à victoria de Tyrano Maxentio per signum crucis Constantino Magno indicata, & obtenta, nempe octauo Calend. Octobris. Hæc vero sententia in re adeo, vt ipse semper existimauit, incerta, nisi non displicer. Etenim ante Constantinum Magnum nulla iudictionum ratio, quod ipse sciam, alicubi constat, sed ad annorum numerum significandum. J

Verū Iustinianus Cæsar apponi iudictionem instrumentis constituit. *auctent. vi. p. nomen. imper.* & ita fieri debet, nisi consuetudine id omisum fuerit Barto. in l. si quis. §. si iudictio. ff. de edend. n. 12. Cuius opinio magis Communis est auctore Fel. ind. cap. inter dilectos. num. 12. sed si iudictionis annus fuerit instrumento additus, isque minime conueniat anno Domini ibidem adscripto, præsumendus est error in iudictione

potius, quam in anno Domini, cum is facilius, quam indi-
citur, nouis omnibus sit. Barto. in l. si librarius. & ibi Dec. May-
... Cagnol. num. 23. ff. de reg. iur. Dyn. consil. 35. Felin.
... in rep. l. aduocandi. n. 166. ff. de iur. iur.
... de hie instrum. quorum sententia commu-
... de hie instrum. numer. 73. &
... in cap. quoniam contra. in verb. de instrumentorum productio-
... 3.

C A P V T XIII
De oratione indefinita, & an ea vniuersa-
lis vim habeat.

S Y M M A R I A.

Propositio indefinita, vniuersalis, particularis, singularis que sit.
Hoc ratio leg. omnes res meas, an sit generalis, an vero vniuersalis?
An venditio fundi transeat in emptorem ius patronatus ecclesiasticus, quod
condictio habeat in ecclesia intra ipsius fundi limites constituta?
An venditio omnium bonorum includat ius patronatus.
Quare indefinita ex propria significatione non equipollet vniuersali.
In materia necessaria, vel impossibili indefinita, equipollet vniuersali.
Indefinita veritate concepta vniuersalis significationem habet.
Indefinita a lege prolata vniuersalis equipollet, & quid si prolata in statu-
to, & legibus municipalibus.
An indefinita ab homine prolata habeat vim vniuersalem, & inibi varij Tu-
resolutorum loci examinantur, in legatorum materia, in exheredita-
tionis, filiarum mentio in testamentis facta & quid de legatis alijs in-
dicatur.
In probationibus, indefinita vniuersali nequaquam similis est.

Dignis est, & admodum perplexa questio, quae a iuris vtri-
usque professoribus non infrequenter discutitur, an ora-
tionis indefinitae significatio in vniuersum accipienda sit,
cuius examen ex professo, breuiter tamen tractatur, illud
proponit: orationum aliam esse singularem, aliam particu-
larem, aliam vniuersalem, aliam indefinitam.

Singularis propositio est ea, in qua sine aliquo signo, sub-
iecti loco terminus collocatur discretus, aut singularis,
vel communis, cum pronomine tamē demonstratio num-
meri singularis & primitiuae speciei, terminum discretum
appello, aut singularem, nomen proprium cuiusque. Ter-
minum autem communem appello nomen appellatiuum
singularis numeri, vt Homo, aut pronomem de monstratiui
pluralis numeri, vt Ipsi. Erit igitur propositio singularis, Pe-
trum legit, hic homo currit, ille homo dormit.

Particularis autem oratio est, quae termino commu-
ni signum particulare adiungit, vt Quidam homo currit, Ali-
quis homo legit.

Vniuersalis oratio est, quae termino communi signum
vniuersale apponit. est enim signum vniuersale, quod ad om-
nia referri potest, & per seipsum nihil significat, vt Nullus,
homo, omnis, ergo propositio vniuersalis, Nullus homo cantat,
Omnes homo dormit, Nemo currit.

Indefinita vero propositio est ea, in qua terminus com-
munis apponitur sine aliquo signo, vt Homo currit, Animal se-
dit. Haec assumpimus ex Aristotele in princ. Priorum, & in lib.
vbi Petrus Hispano Summularum lib. 2. cap. 7. gloss. &
Barto. in l. 1. ff. de reg. iur. Barto. in l. si ita in princ. ff. de leg. 2. Barto. & ibi
Lafianus, col. 6. in l. si quis §. vtrum. ff. de reb. dub. Alciat. in l. in vsu. ff.
de verb. signif. Titelm. in Dialect. lib. 3. c. 7.

Hinc dubium quibuldam videbitur, quod scribit Barto. in
l. si in colum. 2. ff. de aur. & argent. leg. dicens, hanc orationem,
Lego omnes res meas, esse generalem, vt distinctam ab vniuersa-
li cui opinioni accedunt Socin. in dict. §. vtrum. col. 1. penult. i.
Hieronym. Cagnolus in l. 1. num. 4. ff. de regul. iur. idem in l. v-
trum. numer. 216. C. de pactis. vbi Philipp. Decius ex aduerso ad-
ferre hanc orationem esse vniuersalem, vt distinctam a ge-
nerali, & indefinitam, idē repetit Decius in l. omnia. ff. si certum
pecunius sententia ex praemissis verior apparet, licet possit
hac difficultas eo pacto dissolui, vt hanc propositionē dica-
mus esse vniuersalem, prout distinguitur ab indefinita vel
generali generali vero ad distinctionem orationis sig-
nificantis vniuersitatem sub nomine collectiuo, vt Lego gre-
gem, Lego peculium, hoc ipsum est quod Baldus scribit cons. 1. vol.
3. aliquid esse vniuersale ratione signi, vt Lego omnes res,
aliquid vero ratione rei, vt Lego peculium. Vniuersitas enim
est, quae vna significatione saltem aptitudine comprehen-
dit multa in quorum quolibet ipsa vniuersitas non prae-
dicatur, quod probatur in l. hereditas ff. de petit. hered. l. grege. cum

sequenti. ff. de legatis 1. l. grege. ff. de legatis 2. l. eum qui edes. ff. de vsu cap.
l. nihil aliud. ff. de verb. signif. l. si municipes. & l. sicut municipum. ff.
quod eiusque vniuers. nom. explicat eleganter Bald. in l. edita. in l.
reper. num. 24. C. de edend. Paul. Castren. in l. 1. in sine princip. ff. de of-
fic. eius. cui est mand. iuri. & ibi Curt. lun. num. 72. tenet Bartol.
post glossam ibi in l. 1. ff. de edend. Sic quodlibet animal ex gre-
ge non efficit ipsum gregem, sicut nec vna domus heredi-
taria efficit ipsam hereditatem. Nam quod in dict. §. v-
ltim. scribitur, vnum tantum ipsam vniuersitatem repre-
sentare, ita accipiendum, vt vnus hoc in casu vniuersitas mi-
nime sit, nec vniuersitatem efficiat: sed ex accidenti ius ob-
tinet vniuersitatis, quemadmodum Accursius ibi explicat, &
probatur in l. Neratius ff. de verb. signif. & cap. 1. de elect. quod
etiam apertissime ostenditur, si ponamus Titio mortuo, v-
nam tantum domum ex eius bonis extare, haec enim sola
domus non erit hereditas, nec sola efficiet vniuersitatem,
quamuis ad eam sit totius vniuersitatis ius redactum. Ge-
nus autem constat ex pluribus, in quorum quolibet per se
genus ipsum predicatur, quilibet enim homo animal est,
quilibet equus animal itidem est. Ex quibus infero, posse
ex vno fundo vniuersitatem constitui, modo patris fami-
lias destinatione is fundus sub vno nomine comprehendat
plura, quae simul nomen illud obtineant, separatim vero eor-
um quodlibet minime illo nomine censeatur: exigo ta-
men hoc in casu patris familias destinationem ob id, quod
ex propria vi, & natura nomen hoc, fundus, vniuersitatem
minime designet. Si quis etenim vnus nominis fundum
industria, cura, & diligentia ita constituerit, vt sub eo fun-
do habeat flumen cum iure piscandi, molendina, prata, syl-
uam caeduum, item ipsius fundi partem ad colligendum fru-
mentum, vineas, & similia hunc fundum ipse omnino esse
vniuersitatem existimarem, eiusque nomen vniuersitatis
significationem habere minime dubitarem, quod passim
in Hispania contingit, siquidem in hereditamento, vna hereditas, si-
milem fundum appellamus. hoc sane Iurisconsultus probat
in l. cum fundus. ff. de legat. 2. vbi fundum vniuersitatem ap-
pellat: ita etenim, vt exposuimus, text. ille plane intellectus
aptissime conuenit huic rei, quicquid Socin. & alij scripse-
runt in l. 1. ff. de re. dub.

Hinc etiam duae questiones definiri possunt, quae in tra-
ctatu iuris patronatus ecclesiastici tradi solent ad intel-
lectum cap. ex literis de iure patron. Harum prior est, an vendito
fundo transeat in emptorem ius patronatus ecclesiastici, quod
venditor habebat in ecclesia intra ipsius fundi limites co-
stituta? & sane illud in primis apertam decisionem habere
videtur, ius sepulchri, cui aditus non est ex via publica, sed
per ipsum priuatum fundum, transire in emptorem. tex. in l.
si mercedem. §. 1. ff. de act. empr. vbi Albert. optimus item tex. in l.
in modicis. ff. de contra. empr. Innocent. ita intellectus per Ioan-
nem Andr. Anchar. & Abb. in dict. cap. ex literis. vbi Hostiens.
idem probat, quos sequitur Rochus de iure patronat. in verb. ip-
so, vel is. quest. 23. quorum quidem Opinio Communis est, dubium
tamen id est, an idem sit in iure patronatus ecclesiastici, &
idem esse asserunt Accursius in dicta l. in modicis. Bartolus &
Paulus in dicta leg. si mercedem. §. 1. per illum textum. Roman. singul.
56. Cardin. in cap. eum seculum. de iure patronat. Syluest. in verb. ius
patronatus. quest. 5. Henric. & Cardin. in dict. cap. ex literis. quest. 13.
Abb. in d. spur. 5. num. 5. & Carol. Molin. in consuet. Parisiens. l. 1. §.
37. gloss. 10. numer. 9. Contrariam sententiam exprellim pro-
fiterentur veram esse Innoc. Hostiens. Ioa. Andr. Ant. Anchar.
& Abb. in d. cap. ex literis. quorum opinio communis est secu-
dum Rochum d. g. 23. & Caslarem Lambert. de iure patronat. li-
bro. 1. part. 2. quest. 5. artic. 17. qui eam sequuntur post alios ab
eis nuncupatim relatos. Quin & ipse Abbas in d. d. spur. 5. n. 5.
& in d. cap. eum seculum, hanc ipsam opinionem communem
esse fatetur. Horu ratio ea est, quod ius patronatus nequa-
quam vendi potest, nec titulo venditionis in aliquem tran-
sit, nisi vniuersitati venditae adhaereat, sicuti iuxta Communem
Interpretationem probat decisio text. in dict. cap. ex literis. & in dict.
cap. cum seculum. Nec obstat ratio adducta ex iure Ciuili, nam
idem locum habet, in iure sepulchri, quod exereeri
aliter non potest, quam per ingressum ipsius fundi id-
circo mirum non erit, si transeat in emptorem, cum
penes venditorem inutile sit, emptore prohibente in-
gressum.

Hoc tamen in dubio tria discretim ad ipsius resolutionem
Primū omnino deceptos fuisse Henric. in d. ex literis. Card.
in d. cum seculum. eundem cons. 123. Casl. Lamb. in d. art. 17. & 18.
dit.